

Google


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV·ANG
VE RI TAS



SACRA SAECULARIA

REGIAE LITERARUM UNIVERSITATIS FRIDERICO-ALEXANDRINAE

CENTUM ANNIS ABHINC

FELICITER INAUGURATAE

DIEBUS AUG. XXIII. XXIV. XXV. MDCCCXLIII

RITE CELEBRANDA

INDICIT

UNA CUM SENATU ACADEMICO

FRIDERICO-ALEXANDRINAE PRORECTOR

D. IOANN. GEORG. VIT. ENGELHARDT,

AUG. REGI A CONSIL. ECCL., THEOL. PROF. P. O., ORDINIS SCTI MICHAELIS EQUES.

DE RELIGIONIBUS ORESTIAM AESCHYLI CONTINENTIBUS


PRAEFATUR

D. CAROLUS FRIDERICUS NAEGELSBACH,

LITT. GRAEC. ET LAT. PROF. P. O., SEMIN. PHILOL. DIRECTOR ALTER.

ERLANGAE,

TYPIS KUNSTMANNIANIS MDCCCXLIII.


HARVARD COLLEGE
1906
LIBRARY

Quo tempore Schillerus noster disposuit Wallensteinium, hac in re artis tragicae positam excellentiam arbitrabatur, ut per totam fabulam regnaret fatum, discrimen ut rebus afferret non hominis ullius sponte susceptum consilium, sed rerum praesentium necessitas adventicia. Artis hoc dicebat esse, ut hominem ostenderet rerum angustiis circumventum, urgentium fatorum vi praecipitem actum, ita denique libertatis arbitrio spoliatum, ut quam admisisset in se culpam eius major pars infaustis attribuenda sideribus esset [1]).

Verum summi poetae sententia, quae depravata paulatim monstra genuit illa fabularum fatalium, non a Christiana solum sed etiam a Graecorum religione abhorrentium, cedebat paulo post opinionibus eorum, qui fati non caecam aut plenam licentiae, sed justam ac vere divinam vim esse statuebant, neque eam talem, quae nihil aliud quam noxios homines poenis afficeret, sed ipsa jura contraria, quorum in conflictione natura cerneretur tragoediae, si modum statutosque fines excessissent, cum rationis quadam et sapientiae specie ad suam quodque regulam revocaret; quum interim alii, ob Aristotelis de fato silentium ad illam quae vulgata fuerat ante Schillerum opinionem revoluti, ullam vim fatalem in Graecorum fabulis versari negabant. Quarum sententiarum si progressiones ac vicissitudines temporum ordine descriptas persequimur, quod fecimus nos in annotatione ea, quam alteram huic libello subjunximus [2]), res ea, cujus studiosissime perquisita cognitio est, cur illam habeat naturam ambi-

gendi, profecto non intelligeremus, si vel revera fati nullae partes essent in Graecorum fabulis, vel essent eae, quae plerisque viris eruditis videbantur. Nunc autem ex ipsa varietate dissentientium apparet, ad Graecorum fabulas et pertinere fatum, h. e. vim quandam necessitatis nudae, concreti solidique nihil habentis, nulla figura formatae et ob id ipsum justitia, sapientia, denique ratione carentis[5]), et non ita pertinere, ut fabulis ipsis infusa vis fatalis aut Deorum numen a rerum gubernaculis excludat aut hominum ex aliqua parte tollat libertatem. Etenim fatum in fabulis et Deorum atque hominum libertatem quasi finibus et regionibus, in quibus vigeat vis utraque, disterminari, facile intelligemus, si distinguemus diligenterque separabimus ea, quae sunt initia et quasi semina fabulae, unde nascitur agendi principium, et ea, quae fiunt in fabula et ex illa stirpe generantur. Nam quae sunt ipsius fabulae circumscriptione comprehensa, quae peraguntur in scena et spectantium occurrunt oculis, in iis nulla mortalibus fatalis agendi necessitas affertur, neque homines quae faciunt, ea rerum ac temporum causis adventiciis, sed suis ipsi voluntatibus impulsi faciunt, et si quibus debentur fatis, ea inductione animi atque consiliis implent sua sponte propositis. Illud imprimis, in quo discrimen vertitur fabulae, quo cetera quae fiunt omnia diriguntur, a libera proficiscitur hominis voluntate, neque fit quia non fieri nequit, quia fatorum series illigatos trahit mortales, sed fit judicio, consilio, destinato. At ea, quae sunt extra fabulam, unde manant, quae ejus argumento continentur, ea vero constituuntur ac designantur fato, ea potentiam habent ab hominum arbitrio sejunctam, ita duntaxat, ut hominibus afferatur agendi materia, non in ipso discrimine necessitas imponatur suscipiendae voluntatis obnoxiae. Quamobrem tales sunt in Graecorum fabulis partes fati, campum ac spatium hominibus ut aperiat, in quem immissi suam experiantur libertatem, cujus fines provisum quidem est ut ne possint excedere, sed intra quem nullis se coerceri sentiant angustiis. Ita neque tantum permisit homini fatum, ut ab initio aut ex omni parte sui juris esset, quod libertatis genus non capit mortalitas, nec rursus mortale occupavit consilium aut homo quid faceret decrevit. Imo si aliqua in re, in fabularum certe gubernandis actibus vim suam temperavit, ut id ipsum falsissimum sit, quod statuit Schillerus, praestantiam tragoediae in eo contineri, trahantur ut homines fatorum vi, quum praeser-

tim extra vaticinationes Graeci homines fati necessitatem ex actis potius rebus interpretentur quam suscipiant in agendis. Nam scite Barthélemy (Voyage du jeune Anacharsis VI. p. 132) de personis in fabulis, *ils raisonnent*, inquit, *comme s'ils ne pouvoient rien*; *ils agissent*, *comme s'ils pouvoient tout*.

Atque ex Aeschyleis fabulis apparet hoc dilucide. In *Prometheo* quidem fatum et Jove et Prometheo potentius fabulae subjectum est pro fundamento, quo fato nisi destinata quaedam essent, quibus et Jupiter et Prometheus tenerentur, nullus futurus erat fabulae locus. At ipsa fabula quid habet aliud quam factam ex utraque parte causarum contentionem contrariarum, quarum suam uterque (nam Jovis personam gerit Mercurius) clamat esse justissimam, injustissimam adversarii? Nam fato quidem neque Jupiter ad Prometheum excarnificandum adigitur, nec Prometheus ad ea facienda, quae facit in fabula, - ut Oceanum aspernetur intercessorem, ut venturum aliquando sibi liberatorem, ut deturbatum iri solio Jovem praedicat, ut recuset effari, quibus abstinendum sit Jovi nuptiis. Haec enim omnia facit nulla coactus necessitate extranea nec ullo fataliter superante concursu causarum. Videamus *Persas*. Hoc utique in fatis erat atque ex oraculi praesignificatione Dario notissimum, Persarum regno pridem imminere exitium; cf. Pers. 739 sqq., 800 sqq. (Pors. Dind.). Vaticinium hoc quod ratum in Xerxe potissimum fuit, culpa penes ipsum est, qui temeritate atque insolentia Deos provocavit; 742: *ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς ξυνάπτεται κτἑ.* Ne Plataeensis quidem calamitas, quo tempore redux Xerxes in Persiam est, etiamtum reliqua futura, fati decreto praestituta est, sed religiones ulciscitur Graeciae violatas; cf. v. 808 sqq.. Adeo ne fortuna quidem universa regis tribuitur fato, nedum ut quae geruntur in scena possint ullo pacto ad fatalem necessitatem revocari. Neque aliter se res habet in *Septem ducibus*. Ibi postquam ceciderunt fratres, confecta gentis universae pernicie, clamat utique chorus v. 975: *ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερά.* Verum id qua sententia fiat, apparet ex iis, quae proxime subjiciuntur: *πότνιά τ' Οἰδίπου σκιὰ μέλαινά τ' Ἐρινύς, ἦ μεγασθενής τις εἶ.* Ita perimuntur fratres Dirarum ministerio, patris exsecrationes ratas facientium; cf. 709 sqq.. Ergo patris furiae stimulant illae quidem Eteoclem et ad suscipiendam fraternae caedis voluntatem exsuscitant, sed non reluctantis aut quid aliud faciat non

habentis parricidali manum instruunt gladio. Quum nulla rerum infeliciter concurrentium necessitate subactus non alium quempiam Achivorum ducem, quocum congrediatur, sed fratrem potissimum deligit, quum ab ea via consilii nullis demovetur admonitionibus chori, diras patris imprecationes suapte sponte exsequitur, potens mentis, quale sit id quod faciat haud ignarus. Veniamus ad *Trilogiam*. Hujus prima fabula non in chori modo Casandraeque sermonibus fati commemorationem habet satis frequentem, sed etiam universa ducitur a fatali portento aquilarum, gravidam leporem comedentium (Ag. 156: *τοιάδε Κάλχας ξὺν μεγάλοις ἀγαθοῖς ἀπέκλαγξε μόρσιμ᾽ ἀπ᾽ ὀρνίθων ὁδίων οἴκοις βασιλείοις*), quod quum portentum hinc spem ostendat victoriae, ex altera parte, quae res infra magis illustrabitur, haerentem in gente significat culpam infandarum epularum, piaculum exigentium pro filiis mactatis mactandae filiae. Nequidquam Calchas, ut chorus refert, Deum vocabat averruncum, tanto magis desiderabilem, quo certius vates praevidebat futurum, ut admittendum patri regi facinus lacesseret iram matris, violatum naturale pietatis jus violando civili ac regio jure vindicaturae. At vanae fuere preces, neque facere potest Agamemno, quin puerorum mactatorum scelus (hoc enim aquilarum nefario pastu per quandam significationem ostenditur) scelere expiet immolandae filiae, cujus in locum nullam apud Aeschylum misericordia numinis substituit cervam. At hanc ipsam immolationem filiae, sine qua quum nulla detur in Trojam expeditio, videtur ea praecipuam habere a necessitate rerum excusationem et imputari Graecorum duci non posse (Ag. 212 sqq.), non modo Clytaemnestra verum ne chorus quidem dubitat culpae dare patri. Subiit, inquit Chorus v. 218, fatalem necessitatem. Cur? „Quia mentis infaustus scelerumque parens error, turpia meditans, mortalium animos implet audacia," non quo res ac tempora libero regem arbitrio privarint. Hujus autem in facinoris mercedem trucidat maritum uxor, non, qui vulgaris error est, ut tutum sibi praestet adulterium, quod ne initura quidem fuisse videtur, nisi adjutore viro aliquo et adversus iram populi eguisset praesidio (Ag. 1410 sqq. coll. 1434 sqq.) [4]). Caedem igitur mariti cogitavit, antequam de adulterii poena metueret, in ejusque caedis consilium non est ab ulla fati necessitate deducta. Fatum namque sceleri suo saepe subjicienti mulieri ne fidem haberemus, diligenter a poeta cautum in Choephoris est, ubi quum poenam paranti filio

fatalem studeat necessitatem excusare, irridetur ab eo non lenius quam a Zenone servus (Diog. Laert. VII, 23), qui quum dixisset *εἵμαρτό μοι κλέψαι*, responsum tulit *καὶ δαρῆναι·* vide Ch. 910: *ΚΛ. ἡ μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία. ΟΡ. καὶ τόνδε τοίνυν μοῖρ᾽ ἐπόρσυνεν μόρον.* Orestes autem in Choephoris tametsi ab iis numinibus, qui juri civili custodiendo praesunt, severissime et tristissimis interpositis minis jubetur occidenda matre sancire jus in rege ac marito violatum, tamen imperio divino utrum pareat necne, dubitat initio vehementissime et inter obsequium et contumaciam animum gerit ancipitem. Patet hoc ex magno illo *κόμμῳ*, qui fabulae totius partem occupat haud exiguam, cujus hoc argumentum est, ut dubitantis ac tergiversantis Orestis animus exhortationibus sororis et chori erigatur et confirmetur ad subeundum facinus. Quod carmen ex magna parte vanum esset atque inutile, si rerum extra se positarum vi traheretur Orestes, neque poeta caedis si non suscipiendae at perficiendae consilium ex ipsius nasci pectore voluisset. Quum maxime perpetraturus est caedem, iterum vacillat animus injecta religione maternae mammae, quam protendit Clytaemnestra. *Πυλάδη, τί δράσω;* inquit v. 899, *μητέρ᾽ αἰδεσθῶ κτανεῖν;* Pylades Apollinis jussa memorat. Tum vero poeta, quasi nihil reliqui facturus, quin Orestem suo nobis uti declaret, non alieno judicio, subjicientem facit: *κρίνω σὲ νικᾶν, καὶ παραινεῖς μοι καλῶς.* Inde peragit ipse facinus. His rebus ex omni parte consentanea sunt, quae legimus in Eumenidibus. Neque enim si Furiis exploratum est, occidendae matris Oresti auctorem fuisse Apollinem, idcirco quidquam de culpa filii detrahitur; imo filius culpae reus est universae. Cui quamquam divinum praetendit imperium in eamque rem Deum ipsum testem adhibet ac patronum, non tamen ne Deus quidem ita defendit Orestem, ut expugnatam ejus pietatem extortamque obedientiam esse dicat, sed jus causae tuetur, sed factum ad normam refert justitiae. Neque Orestes ut innocens parricidii, quasi vim a numine sibi factam declinare nequiverit, noxae prorsus eximitur, sed ex gratiosa, quam Minerva dedit, formula, ut, si paria condemnantium et absolventium essent suffragia, missus reus abiret, venia donatur [4 b]).

Videmus igitur abjiciendam opinionem esse fati sic in fabulis omnia trahentis, ut aut ab initio voluntates hominum sibi reddat obnoxias, aut suo motu cieri coeptas

suis irretiat consiliis; videmus itidem fatali necessitate hominum actionibus locum ac materiam praeberi (cf. Chrysippum apud Gellium VI, 2), ut poetae, quam duplicem sentiebant hominis naturam esse, ut et extraneis rebus esset obnoxia et animi voluntate libera, eam sic videantur in fabulis expressisse, ut hominem, ex qua parte rerum adventiciarum servus est, ex ea subjicerent fatis temere eum in aliquam necessitatis conditionem deducentibus, eundem, si quidem etiam voluntate ac ratione praeditum videbant, arbitrum consiliorum relinquerent sinè libertatis detrimento.

At tametsi fabulas Aeschyleas illo communi et in omnes res diffuso fato liberavimus, tamen in illis peccantium peccataque punientium vicibus, quae evolvuntur in Orestia, propria quaedam et singularis offertur species fati, quae quum tollere videatur hominum libertatem, videtur eadem debere culpam praestare. Nimirum quae contrahitur culpa ab aliquo, saepe non tam dicitur hominis esse singularis, sed vigentis per totam gentem potestatis noxiae, cujus personam gerit *δαίμων γέννας* sive *ἀλάστωρ*, quem ut memorem peccatorum nec inultum quidquam patientem vocari licet Genium ultorem [5].

Hoc de genio imprimis memorabilis locus est in Ag. 1448—1576, quae pars fabulae carmen habet, quod Chorus et Clytaemnestra canunt alternis. Ibi Clytaemnestra, quam confitetur Chorus in perficienda regis caede versatam esse numinis operam, eam ita conatur interpretari, ut in perpetrando scelere contendat se non suam sed alienam gessisse personam genii ultoris, qui ut Atrei scelus puniret in Agamemnone suam in speciem se transformasset; v. 1497—1504:

ΚΛ. *αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν;*
μὴ δ' ἐπιλεχθῇς
Ἀγαμεμνονίαν εἶναί μ' ἄλοχον.
φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ
τοῦδ' ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ
τόνδ' ἀπέτισεν,
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.

Chorus autem negat ille quidem eximi noxae mulierem aut posse culpam ejus totam

in exitiabile numen derivari, hoc tamen largitur, genium ultorem posse fuisse *συλλήπτορα*, perpetrandae caedis adjutorem; v. 1505—1508:

> *X.* *ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ σὺ*
> *τοῦδε φόνου, τίς ὁ μαρτυρήσων;*
> *πῶ, πῶ; πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.*

Hoc si ita se habet, communicatur hominis cum numine culpa estque ex aliqua parte non sponte suscepta, quae res fieri non potest quin in juste aestimando scelere momentum ingens faciat. At quum nihilo magis neque Deus neque homo ne ex parte quidem ei qui deliquit delicti gratiam faciat ob numinis ultoris operam ad humanum scelus adjunctam, apparet quaerendum esse, quae sit natura, quae vis *ἀλάστορος* illius, qui si quid nocet hominum libertati, nequidquam necessitatem ex fabulis Aeschyleis sustulimus.

Ἀλάστωρ autem quoniam fixam in aliqua domo declarare videtur mentem voluntatemque peccandi, hoc primum quaerimus, peccare quid sit apud Aeschylum. Ac primum quidem novit Aeschylus Deum illum, quem Cicero de rep. III §. 33 amplectitur, aeternae legis conditorem, qua lege quid sit justum constituitur; cf. Eum. 529; Ag. 176; lex talionis Suppl. 437 vocatur *δίκαια Διόθεν κράτη*, coll. Ag. 1563; Suppl. 671: *Ζῆνα μέγαν σεβόντων, τὸν ξένιον δ' ὑπέρτατον, ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ*, quae *αἶσα* non est fatum, sed aequitas et justitia. Adde quod *Δίκη* filia Jovis est, S. Th. 662; Ch. 949; Fr. Niob. ap. Herm. Opp. III, p. 53. Jus igitur qui violat, nihil curat voluntatem ejus, juri qui vim ac potestatem impertivit, sed metum verecundiamque Deorum posuit. Est igitur qui peccat *ἄθεος ἀνὴρ* Eum. 151, et *ἄθεα* sunt quae gerit *φρονήματα* Pers. 808. Eo nondum processerat Homerus, ut peccati culpam nominatim poneret in voluntate divinae contraria, neque habet adjectivum *ἄθεος*, sed adverbio tantum utitur in formula *οὐκ ἀθεεί*, non sine numinis ope. Nimirum leges novit omnem hominum vitam continentes, novit earum praesides et custodes, nondum latores et repertores Deos; cf. nos in Theol. Hom. p. 171. Illa vero Deorum negligentia consecutionem affert insolentiae et contumaciae; *δυσσεβία* gignit *ὕβριν* ex sese; Eum. 534: *δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως·* cf. Pers. 808: *ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημάτων.* Cernitur autem *ὕβρις* primum in Deorum ipsorum

contemtu, qui quia variam aut contumaciam aut sacrorum contaminationem aut hominum in Deorum fidem receptorum violationem habet, variam idem injuriam et privato familiae et publico civitatis juri factam, denique omnem complectitur terminorum mortalibus in aliquo genere datorum eversionem, enumerando persequi singula longum est. His autem in delictis omnibus haec una et maxima culpa hominis est, quod divina pro lege privatum substituit arbitrium, quod non divinae sed suae voluntatis jussis obtemperat. Ita fit, ut, tamquam ipse teneat illum, qui Deorum est, in rerum natura principatum, jus quoddam reperiat juri, quod Deus condidit, infestum et contrarium, faciatque quod Jovem non ut summum Deum sed ut injustum adversarium arguit facere Prometheus, v. 186 dictitans eum *παρ᾽ ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχειν,* sive spreto communi et publico juri jus statuisse sibi privatum ac proprium, quam rem confirmat Chorus, quum v. 403 Jovem dicit *ἰδίοις νόμοις κρατύνειν.*

Tantus autem fastus hominis, Diis inimicus, naturae contrarius, quum non possit non esse vanus atque inanis, peccatum ob id ipsum quod *ἄθεον* est idem est etiam *τὸ μάταιον,* quod sive vanum sive temerarium interpretabere, perinde nascitur significatio ejus, quod eum qui petitur effectum non habet, quod consilio et ratione caret. Ita Clytaemnestra Ch. 918 filio memorat *πατρὸς μάτας,* delicta patris, Chorus in Eum. 337 hominum *αὐτουργίας ματαίας·* cf. Suppl. 229: *οὐδὲ μὴ ᾽ν Ἅιδου θανὼν φύγῃ μάταιον αἰτίας.* Ibidem 762 *μάταιος,* ut *ἄθεος* alibi, componitur cum *ἀνόσιος.* Contra ib. 198 *τὸ μὴ μάταιον,* id quod patet ex sententiarum ordine, expertem culpae mentem vitamque declarat. Denique vanitatem peccati prodit in Ag. 390 sqq. illa similitudo pueri frustra captantis aviculam.

His autem duabus ex rebus, quod et *ἄθεον* peccatum et *μάταιον* est, vis ejus conflatur et efficitur per se spectata; sed in homine posita peccandi voluntas et humanis naturis implicata morbus mentis est, *νόσος φρενῶν.* Ita quidem Xerxis vocatur insolens et Deorum contemtor animus Pers. 750: *πῶς τάδ᾽ οὐ νόσος φρενῶν;* cf. Ag. 502: *αὐτὸς φρενῶν καρποῖτο τὴν ἁμαρτίαν·* Eum. 377: *πίπτων δ᾽ οὐκ οἶδεν τόδ᾽ ὑπ᾽ ἄφρονι λύμᾳ,* homo sceleratus, noxae mentis male sanae subditus, ruens cadensque fallitur. Huic morbo opponitur *ὑγίεια φρενῶν* Eum. 535. Sed quem morbum *νόσου* vocabulum statum quendam et affectionem mentis esse declarat, eum *ἄτη*

diligentius significat adventicium esse et extrinsecus illato detrimento similem. *Ἄτη* namque, ab *ἀάω* ducta vox, ut non raro pro damni dicitur illatione, ita saepius etiam pro damno, quod illatum est [c]. Sed eos locos, in quibus commune damnum intelligitur, praetermittimus; consideremus eos, in quibus quod affertur vitium proprie cernitur in mentis turbata sanitate. Ea rursus aut vacat piaculo, veluti quum pavor, quem Dii hostibus injiciunt, *ῥίψοπλος ἄτα* dicitur S. Th. 315, aut quum Suppl. 850 Danaides jubentur *βίᾳ μεθέσθαι φρενί τ' ἄταν,* h. e. errorem, quo mens occupata tenetur, et viribus potentioribus et sanioribus consiliis remittere, quo pertinet etiam quod Wellauerus feliciter, ut videtur, restituit in Suppl. 885: *βρέτεος ἄρος ἄτα,* signi praesidium vanus mentis error est. Aut est illa mentis insania vicina culpae, unde fit, ut *ἄτη* modo transitive sit vis corruptrix mentis, modo intransitive pro culpa, quae corruptam mentem sequitur. Atque illam quidem significationem cognoscimus in S. Th. 686: *μή τί σε θυμοπληθὴς δορίμαργος ἄτα φερέτω·* Ag. 386: *ἁ τάλαινα πειθώ, προβουλόπαις ἄφερτος, ἄτας·* ib. 771: *ἀνίερον θράσος μελαίνας μελάθροισιν ἄτας.* Et ea quam dicimus infesta menti vis insaniae personam suscipit numinis; S. Th. 956: *ἔσταχεν Ἄτης τρόπαιον ἐν πύλαις, ἐν αἷς ἐθείνοντο·* Pers. 1006: *ἰὼ ἰὼ δαίμονες, ἔθεσθ' ἄελπτον κακὸν -, οἷον δέδορκεν Ἄτα,* pro eo vultu quo nos aspexit corruptrix mentis Ate. Culpam autem, quae sequitur affectam insania mentem, eodem declaratam vocabulo videre licet in his locis: Ag. 1192 *πρώταρχος ἄτη,* culpa principalis omnisque reliquae noxae parens, Thyestis et Aëropae vocatur adulterium; ib. 1284 Orestes memoratur ut *ἄτας τάςδε θριγκώσων φίλοις·* Ch. 598 *ἔρωτες* vocantur *ἄταισι σύννομοι.* Adde Ch. 826; Ag. 1523; Eum. 982; Suppl. 110, denique eos locos, in quibus *ἄτης* vocabulum accipiendum est in sententiam ex infortunio et culpa mixtam; Ch. 467: *παράμουσος ἄτης αἱματόεσσα πλαγά,* ib. 1076: *ποῖ καταλήξει μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;*

Hoc itinere prima vocis significatio ad mentis corruptelam et inde nascentem culpam deflexa est; altera mutatio fit, quum infortunium, quo quis plectitur, *poenae* vim aut *ultionis* habet. In Ch. 383 Jupiter hominibus scelestis *κάτωθεν* mittit *ὑστερόποινον ἄτην,* h. e. poenam antecedentes illos claudo pede sequentem; cf. Ag. 819: *ἄτης θύελλαι ζῶσιν,* ultionis in expugnata urbe Trojana procellae vigent. Saltus,

quo Furiae praedam suam consequuntur, in Eum. 372 vocatur *δύςφορος ἄτα*. Chorus in Suppl. 164 *κοννῶ γ' ἄταν*, inquit, *γαμετᾶς* (Junonis) *οὐρανόνικον*· Chorus in Ch. 836: *ἔνδοθεν φοινίαν ἄταν τίθει*, intus in aedibus cruentam ultionem perfice. Huc retulerim Pers. 821: *ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος*. Hoc quoque in significationis genere *ἄτη* personam potest suscipere numinis; Ag. 1432: *μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς δίκην, Ἄτην Ἐρινύν θ', αἷσι τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ*, ubi Clytaemnestra primum quidem universe per ultionem interfectae filiae quasi per quoddam numen jurat, deinde quae praesunt ultioni numina subjicit separatim; Ch. 68: *διαλγὴς Ἄτη διαφέρει τὸν αἴτιον* (Schol. *διασπαράσσει*· cf. Eur. Bacch. 762); Ag. 1124: *ταχεῖα δ' Ἄτα πέλει*, quae non videtur alia esse quam quae modo v. 1119 dicta *Ἐρινὺς* est (cf. quem paulo ante attulimus ejusdem fabulae locum), ut sententia haec sit: qualem tu vocas Furiam? Non me tuus exhilarat sermo, sed insigni ac prope letali corripior horrore; neque enim ejusmodi vocata Furia cunctatur quin veniat.

Sed quae tamquam unius radicis stirpes sciderunt se culpae poenaeque notiones, ad indiscretam confusamque naturam redeunt, quum culpae genitrix insania, ad quam quis adigitur, ipsa pro poena culpae vetustioris est. Veluti quum apud Homerum Minerva procorum consceleratas mentes exigendae poenae causa ad nova suscipienda scelera stimulat (cf. Hom. Theol. p. 300), tum fit illud quod fieri solere dicit Lyc. adv. Leocr. §. 92: *οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσιν*. Unde intelligimus, quale sit illud, quod in Suppl. 403 *Ζεὺς* vocatur *ἑτεροῤῥεπής, νέμων εἰκότως ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ' ἐννόμοις*· intelligimus etiam, cur Ch. 400 in chori carmine posita sint haec: *ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προςαιτεῖν αἷμα. Βοᾷ γὰρ λοιγὸν Ἐρινὺς, παρὰ τῶν πρότερον φθιμένων ἄτην ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ*· clamitat Furia perniciem, *novam* quidem *culpam* iis, qui ante interemti sunt, auctoribus superiori culpae *poenae loco* succedentem; *ἄτην* enim ad *λοιγὸν* per appositionem referendum, *ἐπάγουσαν* intransitive capiendum est, quae res a nobis explicabitur alibi.

Jam dixerit aliquis repertum esse, quod erat quaesitum. Peccati naturam dum indagamus, vidimus voluntatem peccandi *νόσον* esse *φρενῶν* et morbum hunc *ἄτην*

vocari, *ἄτης* autem posse nonnunquam eam esse vim, ut culpam declaret poenae loco commeritam. Jam ubi gens aliqua velut Atridarum multa fecerit nefarie, Jovem *εἰκότως ἄδικα κακοῖς νέμειν*, sive malefacta malefactis ulcisci, easque ipsas, non alias, *ἀλάστορος* esse partes, Jovis concessu in Atridarum domo saevientis; non tale numen ejus esse, quod peccandi libidine puram sceleris innoxiamque gentem afficiat, sed expetendae vindictae causa impuram et conosceleratam. *Ἀλάστορος* igitur necessitate subigi quidem ad peccandum homines ex aliqua parte fataliter, sed hoc ut fataliter patiantur id unde nati sint commeruisse genus. Singulos posse illos quidem sua et privata carere culpa, posse nullum ante commisisse scelus, cujus ut poenam persolvant, novo scelere obstringendi sint, sed ea conditione natos esse, ut praestare culpam debeant generis. Hujus sententiae testem esse Sophoclem, qui Oedipum faciat exardescentem ira adversus Creontem (Oed. Col. 960 sqq.), qui sua sibi maleficia exprobrarit, *ἃς ἐγὼ* (*ξυμφορὰς*) *τάλας ἤνεγκον ἄκων*, inquit. *Θεοῖς γὰρ ἦν οὕτω φίλον, τάχ᾽ ἄν τι μηνίουσιν εἰς γένος πάλαι· ἐπεὶ καθ᾽ αὑτόν γ᾽ οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδὲν, ἀνθ᾽ ὅτου* (cujus antegressam culpam ut luerem) *τάδ᾽ εἰς ἐμαυτὸν τοὺς ἐμοὺς θ᾽ ἡμάρτανον* [7]).

At enimvero magnopere vereor, ad recte percipiendam naturam *ἀλάστορος* ne multo plura requirantur. Neque enim, si genius ultor in aliqua gente saeviens parentum delicta punit compellendis ad peccandum filiis, intelligitur eorum mentibus, si purae sunt expertesque ipsae sceleris, quemadmodum vim facere earumque innocentiam possit expugnare, quod ipsum totam hanc quaestionem continet. Nam si quis diceret, totam gentem et quidquid inde natum est infectum esse scelere et vitiorum semina a parentibus ad liberos esse ipsa generatione propagata, is vix dici potest quantopere aberraret a poetae mente, qui neque Agamemnonem, antequam filiam immolaret, neque Clytaemnestram, antequam mariti caedem agitaret, neque Orestem, antequam matrem occideret, ulla turpitudine aut praecipua quadam vitiositate fecit insignes. Ne Sophoclis quidem ille quem modo attulimus recte comparabitur locus; nam Oedipus, qui nolens peccat et ignorans quid faciat, habet utique, cur suis in factis infestam genti vim versatam esse numinis credat; Agamemno, Clytaemnestra, Orestes quum suos trucidant, scientes volentesque gravissima scelera suscipiunt, nec ad se

possunt illam accommodare purgationem Oedipi. Itaque ut recte statuitur culpam culpa rependi atque eam etiam in gente aliqua vigere legem, ut ex parentum scelere scelus nascatur filiorum, ita id ipsum, in quo maxime consistit causa, nondum explicatum est, si, cui praestanda culpa gentis est, is ipse vacat culpa, ut in suo plecti vitio nequeat, quemadmodum praecedens aliena culpa suae culpae pariat successionem, sive, ut idem alio modo efferamus, culpa illa aliena quo pacto sui similem prolem ex dissimili possit concipere patre.

Dixerit quispiam, *ἀλάστορος* in corrumpendis mentibus divinam vim esse, quae quomodo vincat mortalium animos, quaeri non oportere. Chorum *ἀλάστορα* quum *συλλήπτορα* dixerit, noluisse neque de natura quidquam potestatis noxiae definire, neque modum allatae mortalibus corruptricis necessitatis patefacere. At non is est Aeschylus poeta, qui temere mortales animos ademta libertate prodat infestis numinibus. Sicut enim ab hominum voluntatibus fati potentiam submovit, ita ne sub alia quidem tamquam servum mortale genus subjunxit imperia. Exploratum est enim, praeterquam eorum, qui suis ipsi vel vitiis vel delictis hoc meruerunt, ut insania mentis punirentur, nullorum animos insontium affligi *θεοβλαβείᾳ*. Oedipi genus est illud quidem *θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος* S. Th. 653; *δαιμονῶσι* fratres *ἐν ἄτᾳ* (1001); sed culpa penes ipsos est; nam caeca eos avaritia ac regnandi libido transversos egit. Cf. S. Th. 903: *μενεῖ κτέανά τ᾽ ἐπιγόνοις, δι᾽ ὧν αἰνομόροις, δι᾽ ὧν νεῖκος ἔβα·* cf. 936. Ita habent illi quidem *μοῖραν διοςδότων ἀχέων* (947), verum non habere ultro noluerunt; alioquin Eteocles chorum monitorem auditurus erat. Item Xerxes est ille quidem *θεοβλαβὴς ἀνὴρ* (Pers. 831), sed quia suscepit animo *ὑπέρκομπον θράσος*, quam rem tota fabula declarat. Non quia *θεοβλαβὴς* est, majores quam pro humano fastigio gerit spiritus, sed quia plenus animus insolentiae fastusque est, idcirco divina vi mens eius occaecatur; Pers. 826: *Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς. Πρὸς ταῦτ᾽ ἐκεῖνον σωφρονεῖν κεχρημένοι πινύσκετ᾽ εὐλόγοισι νουθετήμασι, λῆξαι θεοβλαβοῦντ᾽ ὑπερκόμπῳ θράσει*[2]). Hujusmodi cum hominibus quid habet Clytaemnestra, quid Orestes commune, qui quum insontes ipsi tamen *ἀλάστορος* vi subacti piaculis obstringantur, sit haec vis alia necesse est quam illa quae sontes perimit *θεοβλάβεια*.

Sed ἀλάστορος vim qui patiuntur, eorum liberam nec infestis numinibus emancipatam voluntatem esse, ex aliis quoque certissimis conficitur argumentis. Nam quod Clytaemnestrae suam culpam omnem in ἀλάστορα derivanti Chorus opponit, non si quid ἀλάστωρ ad perpetrandam mariti caedem contulerit, propterea criminis ipsam immunem esse, idem qui peccaverunt ἀλάστορος impulsi stimulis omnium vehementissime sentiunt ipsi. Diris enim excruciantur angoribus *conscientiae*. Qui si quis alius pestiferam malefici genii potentiam expertus est Orestes, postquam Diis auctoribus susceptum suo judicio peregit facinus, nulla neque mandati divini neque minarum, si cessasset, interpositarum, neque materni sceleris cogitatione conscientiam animi potest comprimere, quin ex sanguine matris concepta macula usque eo permanet ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur; cf. Ch. 973 sqq., imprimis v. 1010. 1021.

Verum iisdem non suae solum conscientiae sed etiam divinae legis subeundum judicium est, in quo nihil quod illi sit imputandum συλλήπτορι ipsorum de culpa remittitur, unde luce clarius apparet, auctorem peccati existimari talem, qui sui facti solus sit reus, qui suum non alienum consilium ad peccandum attulerit, cujus moribus, ut impie scelerateque committeret aliquid, nulla sit extrinsecus vis admota. Videlicet illud ita constitutum judicium est, ut judicis fungatur officio non fatum, cui nihil cum jure negotii est, sed ipse Jupiter, juris ejus, quo hominum continetur societas, ut conditor ac repertor, ita disceptator ac vindex. Orestes in Ch. 395 commemorato matris facinore vociferatur: *καὶ πότ᾽ ἂν ἀμφιλαφὴς* (ita Ahrens; vulgo *ἀμφιθαλὴς*) *Ζεὺς ἐπὶ χεῖρα βάλοι;* Idem Deus in Pers. 827 *κολαστὴς* vocatur *τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν φρονημάτων, εὔθυνος βαρύς·* idem in S. Th. 485 *Ζεὺς νεμέτωρ*, in Suppl. 403 *Ζεὺς νέμων εἰκότως ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ᾽ ἐννόμοις.* De pessumdatis ob laesum hospitii jus Trojanis in Ag. 369 haec legimus: *Διὸς πλαγὰν ἔχουσιν εἰπεῖν.* Pro Jove si qua alia numina violatam legem poena sanciunt, operam edunt vicariam, quod nunc exponere longum est. Peragitur autem judicium ex formula a Jove constituta, quam ejusdem ita tuetur custodia, ut nisi Jove ex rerum natura sublato ne formula quidem illa tollatur. Nam cf. Fragm. 267 Dind.: *δράσαντι γάρ τοι καὶ παθεῖν ὀφείλεται·* Ch. 313: *δράσαντι παθεῖν, τριγέρων μῦθος τάδε*

φωνεῖ· Ag. 1563: *μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν χρόνῳ Διὸς παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ.* Hac autem formula quidquid mortalium est adeo certa lege tenetur, ut differri poena possit atque etiam ad inferos aut succedentem liberorum aetatem reservari, remitti vero aut oblivione obliterari nullo pacto. Ex plurimis haec qui probant locis attulimus potiores; Suppl. 732: *χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην·* Ch. 61: *ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ δίκας ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει* (in vitae luce, cf. Eur. Electr. 1140 Seidl.), *τὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ σκότου ἄχη χρονίζοντα βρύει* (sic nos emendamus, ejecta voce *μένει,* quam non habent libri; „alii qui diu cessabant dolores circa crepusculum h. e. ad finem vergente vita scaturiunt"), *τοὺς δ' ἄκραντος ἔχει νύξ* (quum poenas luunt); Suppl. 433: *ἴσθι γάρ, παισὶ τάδε καὶ δόμοις, ὁπότερ' ἂν κτίσῃς, μένει Ἄρει 'κτίνειν ὁμοίαν θέμιν. Τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.* Cf. Lyc. adv. Leocr. §. 79: *τοὺς δὲ θεοὺς οὔτ' ἂν ἐπιορκήσας τις λάθοι οὔτ' ἂν ἐκφύγοι τὴν ἀπ' αὐτῶν τιμωρίαν, ἀλλ' εἰ μὴ αὐτὸς, οἱ παῖδές γε καὶ τὸ γένος ἅπαν τὸ τοῦ ἐπιορκήσαντος μεγάλοις ἀτυχήμασι περιπίπτει.* Adde Ag. 374 sqq., 1223, 1338, 1578 sqq.; Eum. 932.

Παθεῖν autem illud, quo poena legis continetur, apertissime vim habet *talionis*, atque ea mens, ea sententia poenae est, par ut pari referatur. Cf. Ag. 369: *ἔπραξεν ὡς ἔκρανεν,* habuit qui peccaverat fortunam eam, quam ipse voluit; ib. 1527: *ἄξια δράσας ἄξια πάσχων μηδὲν ἐν Ἅιδου μεγαλαυχείτω ξιφοδηλήτῳ θανάτῳ τίσας ἅπερ ἦρξεν,* h. e. perpetiens Agamemno *meritam* poenam postquam in filiam commisit poenam *merentia* ne multum jactet apud inferos, quod violenta nece luerit quae prior admisit ipse. Poena qui mulctat aliquem, is *δίκαια πράττεταί τινα* Ag. 812, vel *ἀντιδίδωσιν ἴσα* Ch. 94, quod Chorus in Ch. 309 sqq., ut aequiparandam talionem ad amussim esse declaret, per partes exsequitur hoc modo: *ἀντὶ μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ γλῶσσα τελείσθω· τοὐφειλόμενον πράσσουσα δίκη μέγ' ἀϋτεῖ· ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν πληγὴν τινέτω·* cf. Ag. 1429: *ἔτι σὲ χρὴ στερομέναν φίλων τύμμα τύμματι τῖσαι·* adde Ag. 1318; Eum. 264 sqq., 464. Quin etiam penitus perspecta reciprocantis in auctorem delicti natura qui peccavit eum ipsum dicit Aeschylus in se peccati constituisse poenam; Ch. 923: *σύ τοι σεαυτὴν, οὐκ ἐγὼ, κατακτενεῖς·*

quam peccati poenaeque inseparabilem necessitudinem suamet ipsa sententia comprobat Clytaemnestra; Ch. 888: δόλοις ὀλούμεθ᾽, ὥςπερ οὖν ἐκτείναμεν.

Atqui lege talionis teneri nemo potest, nisi ad quem ita delictum pertinet, ut ejus ipsi culpa praestanda sit. Ergo qui pro eo quod Alastore socio scelerate perpetravit in divinum illud judicium adducitur et ex illa quam memoravimus formula talionis jure poena mulctatur, is vero suae culpae reus peractus et existimatus est talis, quem non alieni vis arbitrii ad peccandum subegerit invitum. Quae quum ita sint, ἀλάστορος explicari natura non potest ex eo, quod gentis cujuspiam vetustam culpam culpa nova sequatur poenae loco. Hoc unum enim si tenebitur, id quod caput est obscurum erit, innoxiam mentem ejus, cui nova suscipienda culpa est, qua vi genius maleficus possit occupatam corrumpere. Nam ut satis constat, alteram liberorum aetatem poenam posse pro superiorum delictis persolvere, non minus exploratum hoc est, nullo pacto posse mortalium puris et vitio carentibus animis caeca numinis adventicii vi peccandi libidinem admoveri.

Ac tamen ἀλάστωρ, quem investigamus, necessitudinem cum talione non potest habere nullam; nam in illo quem supra p. 12 ex Choephoris adscripsimus loco: ἀλλὰ νόμος μὲν φονίας σταγόνας χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προςαιτεῖν αἷμα κτἑ., qui locus naturam ἀλάστορος videtur attingere, non dubium est quin celebretur talionis jus. Quapropter utique vis ἀλάστορος in talionis delitescit regionibus, et ejus quidem talionis, opinor, cujus ei qui peccavit nulla potest fieri gratia. Etenim cum venia qui peccavit, cujus peccata solvi piaculis possunt, ad eum scilicet nihil talio pertinet. At concipiuntur fraudes, quae ducuntur inexpiabiles. Nam qui factorum conscientia convincuntur ejusque cum cruciatibus divinae justitiae conjungunt opinionem, quia justitiae misericordiaeque Deorum nullam talem, quae salvam utramque conservet, priscae religiones habent conciliationem, non possunt iis delictis, quorum impunitas rerum ordinem Diis custodiendum esset disturbatura, non culpam tribuere inexpiabilem. Ex quo genere Paridis est violatio hospitii, quia hospitali jure laeso hominum tolluntur commercia; cf. Ag. 362 sqq., imprimis 388: ἄκος δὲ παμμάταιον· οὐκ ἐκρύφθη, πρέπει δὲ, φῶς αἰνολαμπὲς, σίνος· v. 396: λιτᾶν δ᾽ ἀκούει μὲν οὔτις θεῶν· τὸν δ᾽ ἐπίστροφον τῶν (vulgo τῶνδε) φῶτ᾽ ἄδικον καθαιρεῖ. Sed praecipue

pietate violanda inexpiabiles concipiuntur fraudes, veluti parricidio; S. Th. 680 sqq.: hostium profusus sanguis expiari potest; est enim *αἷμα καθάρσιον·* at *ἀνδροῖν ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος, οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος·* adde v. 734 sqq.. Item immolatione filiae; Ag. 69: *οὔθ' ὑποκαίων* (ita pro *ὑποκλαίων* optime Casaubonus probante Hermanno; cf. Fragm. Niob. 174: *οὔτ' ἄν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις*) *οὔθ' ὑπολείβων οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν* (immolatam Iphigeniam decribit) *ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει* (Agamemno); cf. 1018. Nec minus caede mariti; Ch. 48: *τί γὰρ λύτρον πεσόντος αἵματος πέδῳ;* v. 66: *δι' αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαῤῥύδαν·* adde v. 71 sqq., 520. Denique parricidio matris; Eum. 261: *αἷμα μητρῷον χαμαί. Δυςαγκόμιστον, παπαῖ, τὸ διερὸν πέδῳ χύμενον οἴχεται. Ἀλλ' ἀντιδοῦναι δεῖ σ', ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον κτέ.*. Nam quod expiationem materni sanguinis dari putat Orestes (280: *βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χερὸς, μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει*), quoniam post illud facinus suillo cruore lustratus cum plurimis hominibus sine cujusquam damno fuerit (282: *ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις κτέ.*), aliud ipsi, aliud videtur Furiis, quas cur Apollinis lustrationes nihil impediant, quin semper haerentem in Oreste sanguinem odorentur, infra videbimus.

Quodsi nulla datur lustralis expiatio, abolendi tollendique peccati vim habet *poena*; nam poenam si quis dedit, non solum ipse solutus est eo quod suscepit piaculo, sed omnis omnino demta peccato vis ultra nocendi. Ita poeta dilucide in Ch. 803: *ἄγετε, τῶν πάλαι πεπραγμένων λύσασθ' αἷμα προςφάτοις δίκαις· γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι. Τόδε καλῶς κτάμενον,* haec pia puraque occisio est!

At hoc ipsum agitur, hoc locum hunc causamque totam continet, ut pia puraque poena talionis sit. Verum accidit saepe contrarium. Etenim poenam quum plerumque Dii non expromant ipsi, sed in puniendis maleficis hominum utantur ministerio atque etiam diversum genus ipsorum Deorum sit, aliorum civile jus, aliorum naturale colentium, quae jura fieri nonnunquam potest ut adversis inter se frontibus pugnent, talionis haud raro nascitur anceps vis et conditio, una quidem, ut vindicet antegressam culpam justissime, altera, ut in sanciendo aliquo jure violato simul aliud ipsa

violet sanctissimum jus ac scelus scelere tollat. Jam inde quaenam orta rerum facies est? Peccavit aliquis, h. e., ut supra vidimus, pro divina ac publica lege, quasi novus ipse juris conditor, suam ac privatam voluntatem substituit. Haec autem spoliatio divinae majestatis ex illa cujus Jupiter ipse custos est formula flagitat exposcitque vindicem. Qui dum vindictam exsequitur sic, ut in sancienda aliqua divina lege subvertat ejusdem sanctitatis legem aliam, tum vero non, quod par erat fieri, peccatum recte facto, malum non bono tollitur [9]), sed ab eo quod ante peccatum est emergere quaedam videtur invitatio eodem iterum exemplo peccandi, quae quidem nec vindicem illum arbitrii libertate privat violentius, quam quilibet illecebrarum aliunde venientes stimuli, imo sui potentem et qui facti reus agatur idoneum esse patitur, et potest tamen in ultione commissi sceleris existimari adjutrix. Atque illa ipsa ab aliquo maleficio exundans non sine jure peccandi vis et invitatio in ejus quem quaerimus ἀλάστορος numine consecrata est, cujus instinctum vocantis qui sequitur, *is jure se debitae talionis armat, ut in ejus injuriae, quam poena vult afficere, consimile genus incurrat ipse.* Cf. Ag. 758: *το γὰρ δυσσεβὲς ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ· 763: φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν* [10]) *ὕβριν — εἰδομέναν τοκεῦσιν.* Jam auctor ille instinctorque peccandi, qui dicitur *ἀλάστωρ*, si perpetuitate quadam scelerum aliorum alia provocantium per plures aetatium successiones traducitur, *δαίμων* est *γέννας* (Ag. 1477) et ad quodvis novum perpetrandum facinus *πατρόθεν συλλήπτωρ* (ib. 1508).

Sed quarum rerum adhuc genus universum cognovimus, eas in Orestia persequi licet certis in personis et eventibus locatas. Memorat Aeschylus generis *πρώταρχον ἄτην*, Aëropam, uxorem Atrei, a Thyeste adulteratam, Ag. 1192; cf. Inttpp. ad Soph. Aj. 1267. Atque ab illo usque tempore in Atridarum gente saeva vis grassatur *ἀλάστορος*. Nam fratris flagitium ultus est Atreus multo scelestiore piaculo infandarum epularum, quarum quia vulgatissima foeditas erat, non mirum est ab Aeschylo scelerum consecutorum seriem non ad adulterium, sed ad illud potissimum initium referri; Ag. 1511: *ὅποι δὲ καὶ προβαίνων* (*ἀλάστωρ* sive *μέλας Ἄρης*), *πάχνᾳ κουροβόρῳ παρέξει* (*ἑαυτόν*), quousque progressurus est, semper comesorum deserviet cruori puerorum; cf. 1600 sqq., Ch. 1068 sqq.. Sed Atreo impunita fuit

immanitas, qui Thyestem una cum reliquis liberis etiam ex civitate exturbavit (Ag. 1605), necdum quo tempore Trojana parabatur expeditio atrocissimum erat scelus expiatum. Atque etiamtum illa culpa teneri genus portentum illud declaravit aquilarum foetam leporem devorantium, cujus portenti vim nemodum quod sciam perspexit interpretum. Hoc interpretans Calchas postquam dixit ex parte praesignificari victoriam, veretur tamen, ne quam Deorum invidiam pergens in Asiam miles experiatur infestam. *Οἴκῳ γὰρ*, inquit v. 135, *ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ, πτανοῖσιν κυσὶ πατρὸς αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισιν, στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἐτῶν.* Quaerendum est enim, Diana dum succenset aquilis cur irascatur etiam *οἴκῳ*. Intelligitur hoc ex eo, quod aquilae nefarie commiserunt. Hi namque nefandis epulis repleverunt se; eadem haeret in Atridarum gente culpa, cujus pro signo atque imagine pastus aquilarum est. Dianae potissimum cur odio sit Atridarum domus, perspicitur ex portenti natura; quod enim numen in ulciscendis versatur pullis leporinis, eidem veritatis et imaginis compendiaria quadam confusione liberorum quoque devoratorum ultio tribuitur.

Est igitur patris Atrei culpa praestanda filio (nam hoc Aeschylo non a jure alienum videri supra vidimus) idque severissima lege talionis. Quod enim Atreus in alienis liberis atrocissime violavit naturale pietatis jus, idem in sua mactanda filia non minus atrociter violare cogitur Agamemno. Nam iratum numen *αὐτότοκον πτάκα θυομένοισιν* aquilis *σπεύδεται θυσίαν ἑτέραν, ἄνομόν τιν', ἄδαιτον* (v. 151), in quo exsecrabili sacrificio quoniam Dianae dicitur apparere numen, consentaneum est nullas eminere partes *ἀλάστορος*, qui provocatus Atrei facinore quonam alio Thyestae vindice petat Agamemnonis caput, postmodo videbimus. Sed Agamemnonis piaculum in immolanda filia susceptum etsi justam regii muneris officiique defensionem habet (Ag. 212 sqq.), ne a choro quidem, nedum ab uxore praesentium rerum necessitati condonatur. Nam ille quidem etsi concedit regem necessitatis accepisse frenum (v. 218), non tamen intelligit necessitatem naturalem et immutabilem, quae repugnandi contumaciam eludat omnem (poterat enim rex, si nollet utique filiam immolare, dimittere exercitum), sed taeterrimum facinus ad consilium ac judicium revocat paternum; v. 220: *τόθεν τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω*, in quo loco vides

quam proprie delecta verba sint. Cujus immanitatem consilii quo magis exprimeret Aeschylus et audientium in animis penitus affigeret, patrem non ut postea Timanthes victum infinito dolore fecit caput obnubentem, sed in perficiendis foedissimis sacris animum ejus etiam ad crudelitatem obduravit. Adeo ferus est ille in exhortandis incitandisque victimariis, quos jubet puellam *παντὶ θυμῷ* in aram tollere, atque in ore virgineo frenis constringendo, ne diris possit devovere domum, cui feritati contraria forma morientis puellae et asperrime imposita taciturnitas et vultus in singulos sacricolas miserabiliter conjectus vehementius etiam permovet animos. Haec tanta arte poeta eo consilio depinxit, ut haberet actio fabulae, quo tamquam fundamento insisteret, ut ne sine ingenti causa Clytaemnestra videretur et pudorem matronalem et regis ac mariti verecundiam exuisse, sed horribili facto violatum pietatis jus non minus horribile praeparare facinus violandi juris regii ac civilis. Immolator namque filiae rex in formulam incidit illam Jovis custodia ratam, qua *παθεῖν τῷ δράσαντι* proponitur, ac vim subit talionis, quam Clytaemnestra cum Aegistho collatis viribus exsequuntur. Hoc autem talionis jus et Chorus confitetur in caede regis versari (Ag. 1338: *νῦν δ' εἰ προτέρων αἷμ' ἀποτίσει καὶ τοῖσι θανοῦσι θανὼν ἄλλων ποινὰς θανάτων ἀντεπικραίνει* [11]), *τίς ἂν εἰς εὔξαιτο βροτῶν ἀσινεῖ δαίμονι φῦναι τάδ' ἀκούων;*), et urget asseveratque Clytaemnestra (1395: *εἰ δ' ἦν πρεπόντων ὥςτ' ἐπισπένδειν νεκρῷ, τάδ' ἂν δικαίως ἦν, ὑπερδίκως μὲν οὖν. Τοσῶνδε κρατῆρ' ἐν δόμοις κακῶν ὅδε πλήσας ἀραίων αὐτὸς ἐκπίνει μολών·* 1404: *οὗτός ἐστιν Ἀγαμέμνων, ἐμὸς πόσις, νεκρὸς δὲ τῆςδε δεξιᾶς χερὸς, ἔργον δικαίας τέκτονος. Τάδ' ὧδ' ἔχει.* Adde v. 1412 sqq.). Ac talionis ejus redditur a Clytaemnestra ratio duplex; nam et proprie se dicit immolatae filiae poenam de patre sumsisse ac patris in filiam impietate provocatam uxoris in maritum, et communiter non uxoris se sed *ἀλάστορος* gessisse personam, Atrei facinus in Agamemnone persequentis; cf. Ag. 1497 sqq., quem locum adscripsimus supra p. 8 sq.. Utraque ratio quum vera est, tum sub illam subjecta vim et naturam *ἀλάστορος*, quae cernitur in ea quae manat ab antegressis maleficiis per talionem peccandi libidine. Nam quod Agamemno commisit nefarie, ad nefariam ultionem ultro vocat Clytaemnestram, quod Atreus in Thyeste taeterrime deliquit, hoc ut mulier ultione et ipsa taeterrima vindicet, impellitur machi-

nationibus Aegisthi; Ag. 1607 — 1609: *τραφέντα δ' αὖθις*, inquit Aegisthus, *ἡ δίκη κατήγαγεν. Καὶ τοῦδε τἀνδρὸς ἡψάμην θυραῖος ὤν, πᾶσαν ξυνάψας μηχανὴν δυσβουλίας.* Videmus igitur talionis jus in Agamemnone ratum esse trifariam; nam et paternae noxae poenas dat, idque quum numinibus iratis, qui pro mactatis Thyestae pueris filiam victimam poscunt, in qua re nullae sunt partes *ἀλάστορος*, tum Thyestae filio, qui per Clytaemnestram expetit ab eo poenam, in cujus versatur facinore *ἀλάστορος* opera, et suam ipse culpam, sacrificanda filia contractam, luit, qua in re itidem ejus industria viget. De qua quid sentiret poeta, patefecit in illo carmine, quod habet locum eum, unde exorsi sumus, Ag. 1448 — 1576, in quo, postquam patrato facinore Clytaemnestra progressa ex aedibus, nihil animo perturbata, nulla poenitentiae significatione, jus coepit urgere talionis (v. 1395 sqq., 1406), Chorus autem id ipsum jus in caedis autorem retorsit (1430), memorantur illa quasi numina fabulae, quibus tota gubernatur. Et quoniam carminis tripartita descriptio est, una pars, v. 1448 — 1480, mentionem injicit *ἀλάστορος*, caedium aliarum post alias auctoris, qui mulieribus duabus uti dicitur ministris; altera, v. 1481 — 1530, vim et jus ejus certis adstringit finibus; nam etsi formidolosi genii saevitia vel ad Jovis permissionem refertur (1485 sqq.), non tamen culpa solvit hominem instinctu suo peccantem, sed ad patrandum scelus aliquod sociam tantum operam praestat, quam in illa consistere quam persecuti sumus *invitatione* per talionem peccandi luculentissime patet ex v. 1509; ubi postquam confessus Chorus hoc est: *πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ*, continuo subjicit: *βιάζεται δ' ὁμοσπόροις ἐπιῤῥοαῖσιν αἱμάτων μέλας Ἄρης*· cf. v. 750 — 777; Ch. 400 — 404, quos locos supra p. 19 et p. 12 posuimus. Tertia denique pars (1531 — 1576) patefacit aperitque legem, in qua tota vis *ἀλάστορος* nititur et continetur, quae quidem talionis lex pollens in descriptione rerum a Jove profecta ejusdem Jovis custodia conservatur, unde planum fit, cur Jupiter potissimum *ἀλάστορι* potestatem faciat saeviendi.

At vero si talionis lex inexorabilis et immutabilis est, ex eaque genius ultor novas subinde puniendi vices instaurat, ac semper viget illud *φέρει φέροντ', ἐκτίνει δ' ὁ καίνων* (1562), necessario Chorus arbitratur futurum, ut scelera ex sceleribus serantur et infinita quaedam nascatur talionum reciprocatio; 1565: *τίς ἂν γονὰν*

ἀραῖον ἐκβάλοι δόμων; κεκόλληται γένος (τὸ ἑαυτῆς) προςάψαι (δόμοις). Nam quod Clytaemnestra sibi videtur efficere posse, ut pactione cum Alastore facta talionem redimat praesentium malorum patientia aut, si quid ita profici possit, jactura bonorum (1567—1576), ea vero inanis opinio est, si modo vera locutus est Chorus v. 1008 sqq.. Imo praeclarissimo poeta artificio vel ipsam facit elaborantem, ut supremum discrimen rerum, quod Chori et Aegisthi gladiis occupatum nullam esset maturitatem habiturum, committatur ac reservetur *ἀλάστορι.* Eo poetae consilio, ubi inter Chorum et Aegisthum ad gladios ventum est, intercessione Clytaemnestrae certamen dirimitur.

Nimirum Clytaemnestra quum in puniendo marito sanxit naturale pietatis jus, civile subvertit et regium. Unde denuo numen Ultoris lacessitur. Juris enim civilis repertores iidemque custodes Dii, Jupiter et qui jussa patris exsequitur Apollo (cf. Eum. 616 sqq.), omni poenarum terrore stimulant Orestem, ut materna caede regem et patrem ulciscatur. Quod dum facit Orestes, dum se libero judicio ad Deorum voluntatem accommodat, fieri non potest, quin quod contra matrem expromsit jus talionis, id ad ipsum redundet et juris naturalis violator induatur in poenas numinum pietatis ultricium. Quae quum non per mortalem aliquem sed ipsae poenam exsequantur, ne iis quidem licet otiosis esse numinibus, quae filio maternae caedis exstiterunt auctores. Quid inde necessario sequitur? Hoc, opinor, ut quae pugnant inter se jura, civile quidem et naturale, in quorum contentiône posita fabulae vere tragica vis est, tamquam in corpus veniant fiantque visu manifesta. Jam fieri potest, quod ad summam rem momentum ingens facit, ut induta Deorum personis jura pugnantia deducantur in judicium et in forensem disceptationem vocentur. Fit hoc Minervae consilio et cum summo quum Atheniensis civitatis, tum imprimis Areopagi honore. Sed hoc et satis explicatum ab aliis et alienum est a nostra quaestione. Hujus proprium est, quod *ἀλάστορος,* quocum paciscendo transigere Clytaemnestra voluit illa quidem sed non potuit, illo uno modo potest superari vis atque frangi. Nec enim exstinguitur *ἀλάστωρ* propterea, quod quasi placari se fatum patiatur, aut quod natura generis paulatim emendata pristinam immanitatem posuerit, aut quod Orestes purus per se sceleris fuerit [12]); imo vis *ἀλάστορος* quia tota nititur talionis lege,

quae nec laxamenti quidquam neque veniae habeat, quoad ea lex reciprocas sustentabit ulciscendi vices, nihil remissa ultoris genii saevitia in perpetuum grassabitur. Quo tandem igitur opus est facto, *ἀλάστορος* ut impetus elanguescat? Videlicet ejus maleficii, unde nascitur talione peccandi quasi quaedam incitatio, confitendum est ambiguam naturam esse atque ex jure atque injuria mixtam nec ex omni parte talionis obnoxiam potestati, qua concessa re concidit *ἀλάστορος* vis et auctoritas. Atque ita Orestis causam comparatam esse ex forensi disceptatione intelligitur. Quaeritur enim, Orestes rectene matrem occiderit. Ait Apollo, Furiae negant. Atqui damnantium absolventiumque quum paria suffragia sint, apparet eum neque recte neque non recte fecisse, sive qui naturale jus violaverit, eundem vindicem et custodem fuisse civilis [13]); cf. Eum. 614—639, 797 sqq.. Ergo neque vincit Orestes, neque vincitur, nec magis aut vincunt aut vincuntur Furiae; cf. Eum. 741: *νικᾷ δ' Ὀρέστης κἂν ἰσόψηφος κριθῇ* coll. v. 795, ubi Furiis Minerva: *οὐ γὰρ νενίκησθ', ἀλλ' ἰσόψηφος δίκη ἐξῆλθ' ἀληθῶς, οὐκ ἀτιμίᾳ σέθεν κτέ..* Nullus igitur relictus talioni locus et exstincta vis *ἀλάστορος* est, cujus potestas, non in hominem ullum, velut in propinquum aliquem Clytaemnestrae [14]), sed in vindices pietatis Deas translata, si non esset constituto debilitata judicio, futurum erat, ut aut sumtum de Oreste supplicium civilibus illis Diis contra Furias bellandi necessitatem imponeret, aut ereptus per vim ultricibus Diris reus furorem earum adversus Jovem et Apollinem vel potius adversus caram iis numinibus urbem concitaret. Nunc autem quum non contemtum sed cum civili exaequatum sit jus naturale sive Furiarum, sapientissimae Deae sermonibus placari se patiuntur et cum illo recentiore Deorum genere, auctore juris non ex natura ipsa arrepti, sed, ut priscis visum est, excogitati consilioque reperti, revertuntur in gratiam.

Sed ad finem ita perducta disputatione nostra dum quae scripta sunt a nobis recognoscimus, etsi non videmur operam perdidisse prorsus omnem, subit tamen animum vereri, ne sint non satis digna magnificentia et religione sacrorum, quibus indicendis ut praefaremur potestatem nobis fecit amplissimi Senatus auctoritas. Etenim Dei ter optimi maximi beneficio, cujus rebus nostris saepe trepidis, nonnunquam tristissimis, praesentissimum semper atque evidentissimum adfuit numen,

contigit almae nostrae Friderico-Alexandrinae, ut florens divinae humanaeque sapientiae studiis atque a Rege eodemque Rectore suo etiam majora sperare jussa primum post inaugurationem saeculum nunc ipsum et condat felicissime, et tantam felicitatem propalam declaratura paret sacra saecularia. Quorum ad splendorem ac celebritatem sacrorum ne quid requiri possit quum pridem provisum sit Regis nostri augustissimi clementia, ut illa, quae hac in urbe aequalium nemo vidit, nemo iterum visurus est, obeant nobiscum solennia, Augusti mensis diebus tribus, vicesimo tertio, quarto, quinto celebranda, omnes in Germania literarum universitates, omnes, qui studiis apud nos olim operam dederunt, omnes denique, qui literis rebusque nostris favent, officiosissime et humanissime invitamus atque ut in partem laetitiae gratulationisque nostrae veniant vehementer optamus. Ac tanto major nobis impetrandi voti fiducia est, quo certius credimus persuasum penitus esse literarum universitatibus Germaniae, omnes uno se doctrinae salutisque vinculo contineri neque suas cuique a ceterarum utilitatibus esse sejungendas, quo fortunatior etiam ab omni tempore civium olim suorum et caritate et pietate erat Friderico-Alexandrina, quo denique laetiore spe sermoneque jam aliquot abhinc lustris solennium propediem instantium celebrata inter nos exspectatio est. Proinde agite, congregamini, quicunque vel eadem nobiscum studiorum sacra docentes colitis, vel eandem, quam nos tenemus, Musarum sedem discentes olim colebatis, et gratissimae nostrae in Deum pietatis et honestissimae laetitiae futuri participes nulla non observantiae, amicitiae, humanitatis officia vicissim a nobis exspectate.

Annotatio.

1. Schillerus in Prologo Castrorum Wallensteinianorum de arte tragica loquens habet haec:

Sie sieht den Menschen in des Lebens Drang,
Und wälzt die gröſsere Hälfte seiner Schuld
Den unglückseligen Gestirnen zu.

Schillerus ad Goethium **28**. Nov. **1796**: *Das eigentliche Schicksal thut noch zu wenig und der eigene Fehler des Helden noch zu viel an seinem Unglück.* Idem **2**. Oct. **1797**: *Da der Hauptcharakter eigentlich retardirend ist, so thun die Umstände Alles zur Krise, und dies wird, wie ich denke, den tragischen Eindruck sehr erhöhn.* Cf. *Schwab* Vita Schill. p. **637**, *Hinrichs* Schillers Dichtungen II, **2**. p. **22**, *Hoffmeister* Schillers Leben etc. IV, p. **8** ff. Praeiverat *Goethius;* Wilh. Meister V, **7** (Werke XIX, p. **181**): *So vereinigte man sich auch darüber, daſs — das Schicksal, das die Menschen ohne ihr Zuthun durch unzusammenhängende äussere Umstände zu einer unvorgesehenen Catastrophe hindrängt, nur im Drama statt habe, daſs der Zufall wohl pathetische, niemals aber tragische Situationen hervorbringen dürfe: das Schicksal hingegen müsse immer fürchterlich seyn und werde im höchsten Sinne tragisch, wenn es schuldige und unschuldige, von einander unabhängige Thaten in eine unglückliche Verknüpfung bringt.*

2. Germanorum qui ante Goethium et Schillerum de poesi tragica scripserunt, *Gottschedius* (*Dichtkunst Th.* **2**), *Nicolai* (*Bibl. der schönen W. Bd.* 1 *p.* **17**, *Abhandlung vom Trauerspiel*), *Sulzerus* (*Theorie der schönen K. Tragödie Bd.* **2** *p.* **789** *ff.*) alii, quia non

recedunt a tragoediae definitione Aristotelia, nullam fati mentionem fecerunt, nisi quod *Lessingius* (*Dramaturgie. Berl.* **1794.** *Bd.* **2** *p.* **169** *f.*). fati vim adhibitam ab antiquis putat ad minuendam excusandamque scelerum atrocitatem; cf. *Barthélemy* Voyage du j. A. Paris **1789**. Tome VI. p. **132** ff., *Manso Nachträge zu Sulzer* II. **2.** *p.* **272**, *Süvern Die Sieben gegen Theben* **1797.** *p.* **86**, quod miror etiam *Gruppio* visum, *Ariadne*, **1834.** *p.* **717**. Sed paulo post, Gallis, ut videtur, auctoribus (cf. quos affert *Bluemnerus Idee des Schicksals bei Aesch. p.* **3**, quibus adde *Barthélemy* Voyage l. c. p. **132**.) suscepta est opinio *fati caeci*, quod quum offendisset initio animum Schilleri (Werke Bd. **11.** p. **544**), ut postmodo probatum ei fuerit et Goethio non repugnante suam in fabulam adsoitum, supra vidimus. Schillerum quidem Germanis auctorem fati in tragoediam revocandi fuisse consentiunt omnes. Eadem fati cogitatio subjecta est commentationibus iis, quas ut illo tempore praestantissimas juvenis scripsit, quem reverentiae causa nomino, *Fr. Jacobsius; cf. Nachträge zu Sulzer;* Aeschylus (**1793**) II, **2.** p. **429. 433. 437**, imprimis p. **434** ff.; Sophocles (**1795**) IV, **1.** p. **120**, impr. **121**; Euripides (**1798**) V, **2.** p. **366**. Sed Jacobsius fatum nec a Deorum voluntate (IV, **1.** p. **121**), et, si nonnullis locis, veluti II, **2.** p. **428**, non semper tamen a justitia discreverat (IV, **1.** p. **126**). Hoc diligenter factum est ab *Hermanno* in commentatione, quam subjunxit Aristotelis de arte poetica libro (**1802**) cap. XXVI. p. **263**, qui non bona, quae Deorum beneficio contingerent, sed mala dixit ad fatalem necessitatem referri, idemque fatum non generatim miscebat cum universa justitia, sed eam fatalis necessitatis partem esse docuit (p. **264**). Eodem ferme tempore *Herderus* in Adrastea (**1801** — **1803**; Werke Cotta. **1830.** XVII. p. **218**, impr. p. **222**) fati significationem alio deflexit, ut vim ejus videretur enervasse. Neque enim numen illud intellexit necessitatis, sed cursum quendam rerum, vitae humanae tenorem eventuumque seriem, qua sunt implicati mortales, illa denique omnia, quibus adstricta nostra vivendi conditio est; velut Atridarum fatum dicit insitam naturam gentis esse, qua paullatim emendata fati vim evanuisse (l. c. p. **226**). *Richterus* autem (*Vorschule der Aesth.* **1804.** *Bd.* **2.** p. **403**) fato Nemesis vim tribuit cum admissa culpa sociatam.

Ita variari videmus doctorum de fato sententias et commoveri de illa quaestione controversias. Jam enim, ut intelligere licet ex *Ephem. Hal.* **1807** Nro. **6** sqq., alii negant augustius quidquam esse aut invicto fato, aut firmitate hominis, imperterrito fati vim animo

excipientis; pars injuriam naturis ratione praeditis fieri clamant, si dignitas hominis subeundi fati, praesertim caeci, patientia censeretur; cf. ***Böttiger*** Minerva 1814. p. 6. Redeundum esse ad justitiam illam poetarum, quam Galli studiosissime fuerunt suis in fabulis secuti (cf. ***du Bos*** Reflexions. 1718, qui p. 361. ***Racinium*** affert de Phaedra sua hoc praedicantem: les moindres fautes y sont sévérement punis). Ne veteres quidem in fabulis omnia permisisse fato, sed quaedam etiam vitiis ac sceleribus humanis tribuisse.

Ita discrepabant hominum eruditorum sententiae, quum subtilius in fati naturam inquiri coeptum est a ***Solgero,*** qui quae tam in praefatione Sophoclis interpretationi praemissa (1808. p. XVIII), quam in notissimi libri Schlegeliani censura (***Wiener Jahrb. Bd.*** 7. p. 81 sqq.), denique in Erwino (1815; 2, p. 10. 150 sqq.) acute atque eleganter disputavit, eorum haec ferme summa est, ut omnem fati quaestionem revocet ad differentiam eorum, quae sint singularia et singulorum hominum propria et quae tamquam communia jura vigeant generatim. His autem dirae vim addi necessitatis, sicubi suis in rebus singuli adversus illa communia se gerant contumaciter. Sed interitum studiis singularibus et a communi lege sejunctis afferri propterea, ut multo laetius ex singulorum pernicie revirescat genus ipsum et hominibus pereuntibus salva conservetur humana natura. Talem informatam opinionem fati fuisse Sophoclis animo; apud Aeschylum quidem et Deos et homines quum inter ipsos tum cum fato aperto certamine dimicare. Qui tempore secutus est Solgerum ***A. G. Schlegelius*** (1809), sed, antequam nosset Solgeri Sophoclem, scripsisse videtur, non hujus premit vestigia, sed priorum renovat sententias de caeca fati necessitate, quae sit animorum libertati contraria (***Dramat. Vorl.*** 1. p. 105); cujus fati tristem majestatem imprimis Aeschylum severissime mortalium cervicibus imposuisse (ib. p. 136).

Sed qui vel spreta atrocitate fati eam quae poetarum dicitur justitiam in fabulas postliminio reduci volebant, vel subtilius quaerentes, ut Solgerus, justitiam concentum quendam rerum efficientem a fato non sejungebant, quasi praenuncii fuerunt eorum, qui consequenti tempore quod illi tentaverant ita ratum faciebant, ut fatum et justitiam dicerent aut prorsus eadem esse aut vicina saltem et finitima. Quo in genere quum prolusisset ***Bouterweckius*** (comm. de justitia fabulosa, ad rationem trag. Graec. philosophicam pertinente; cf. ***Gött. g. A.*** 1813 Nro. 118), deinde ***Boettigerus*** (Minerva 1814), quorum ille ***Δίκης,*** hic Nemesis vim fato tribuit, exortus tandem et summis plausibus exceptus est ***Bluemnerus*** (***Die Idee***

des Schicksals in den Trag. des Aesch. 1814), qui repudiata opinione, quam vulgarem dicit, quasi fatum in Graecorum fabulis potentiam exerceret a jure alienam, nec solum inno xios, verum etiam ad peccandum ipsius vi subactos homines poenis afficeret, illi supremo numini, a quo sive fato sive Jove sive utroque quae fiunt in fabulis repetuntur, detracta superbia, invidia, crudelitate, tribuit augustam sanctitatem atque justitiam (cf. p. 136 sqq.). Acutius etiam totam causam tractavit is, qui de Bluemneriano libro censuram, Goethio valde laudatām *), fecit in Eph. Jen. 1815. Suppl. Nro. 12. Is p. 99 habet haec: *Die abgesonderte Idee der Gerechtigkeit, als der moralischen Nothwendigkeit, verbindet sich mit der Idee des Schicksals unbedingt, weil sie in derselben ursprünglich mit enthalten wird. So erscheint ein gerechtes Schicksal in den Begebenheiten der Tragödie, die uns darstellt, wie der ewige Wille wirklich wird in einer verklärten, das ist zu der ewigen Einheit selbst erhobenen Handlung des Menschen. Die Handlung des Menschen nämlich geht aus dem Gebot des ewigen Verhängnisses selbst hervor; indem aber dem Menschen die Wahl für Gutes und Böses frei bleibt und er entweder gegen das Böse kämpft oder zur verbrecherischen That sich verirrt, kann er unter zweien Wegen wählen, die zu demselben Endpunkt führen. Entweder übernimmt er den ihm vom Schicksal auferlegten Kampf mit offenem Willen und strebt seiner Verklärung unter Leiden und Schmerz zu. So Prometheus. Oder die sinnliche, schwächere Natur mafst sich ein entscheidendes Recht an, und durch Leidenschaft zuwider (?) handelnd, wird sein Verbrechen ihm zur Schuld. Diese Schuld ist die seine, doch dafs er durch sie erhoben werde und aus dem Kampfe gegen das Schicksal geläutert hervortrete, das ist der Wille des ewigen Schicksals. In der Strafe und Vernichtung wird dann die höhere Läuterung enthalten. Damit diese aber (die Strafe) nicht als gerechtigkeitslose Willkür erscheine, sorgten die Meister der tragischen Kunst auf doppelte Weise etc.*. Hujus viri sententia ut ad summam non discrepat a Solgeriana, ita repetita et amplificata est a *Suevernio*, qui quum in commentatione versioni τῶν ἑπτὰ subjuncta (1797) ferream fati vim tamquam caecam et naturalem ab omni justitia segregasset (p. 81 sqq.), paulo post in eo libro, quem de Schilleri scripsit Wallensteinio (1800), semina quaedam sparsit (cf. impr. p. 156 sqq.).

---

*) Werke. XLV, p. 59.

quae post aliquanto uberiora fecit in commentatione, quae est de Dramatis natura historica (*Abh. der hist. philol. Klasse der Berl. Akad.* **1825**). Ibi fati legem dixit esse vitae, quae lex concordiam consensumque postularet rerum singularium ac mutabilium et universarum atque aeternarum, eorum quae essent in homine et quae extra hominem, denique libertatis et necessitatis, isque si turbatus consensus esset, discrepantia conjungeret et unitatem vitae in omni dissociatione atque disjunctione conservaret (l. c. p. **97** sq.).

Atque in eandem aut similem sententiam disputant omnes, qui illo tempore fati mentionem utcunque fecerunt, neque naturam ejus a veri rectique lege separant; veluti *Humboldtius* (**1816**), qui in praefatione Agamemnoni latine versae praemissa quum fati, tum Nemesis et justae vindictae vim dicit in ea fabula versari (p. **5**), *Hasselbachius* (*Idee des Soph. Philoktet.* **1818**), qui fatum cum Deorum potentia conjunctum negat arbitrio moderari res, sed justitia, *Welckerus* (*Trilogie des Aesch.* **1824**, p. **192**), qui fabularum duplicem affirmat esse naturam; aliarum enim in nervis juris et aequi legem inhaerere cogitationemque providentiae *summa* ut *potestate* ita justitia cuncta gubernantis, alias rursus ex rerum esse memoria petitas. Unus, quod sciam, *Osannus* (*Ueber Soph. Ajas.* **1820**. p. **10**) superiorum de licentia fati opinionem retinuit; Gustavus etiam *Schwabius*, qui et ipse scripsit anno **1820** de religione Sophoclis rationali, etsi magis in exquirenda elaborat necessitudine ea, quae Diis intercedit cum fato, idque ab intima Sophoclis quidem religione putat alienum esse, eorum tamen amplexari videtur sententiam, qui fato vim tribuunt res mortalium ita praeformantem, ut accelerari possint eventus earum humana libertate, mutari non item (p. **9**. **10**). Eadem fuit, nisi fallor, sententia *Ephr. Schmidti*, qui de notione fati in Sophoclis trag. et fragmentis expressa scripsit anno **1821**.

Ad illud ferme tempus, tametsi aliis alia vis erat visa fati, tamen id quin regeret fabulas, ex quo ejus Schillero auctore vulgata cogitatio fuerat, vix quisquam dubitabat. Jam iterum salubriter monens ad Aristotelem de fato silentem revocare coepit animos summus vir *Godofredus Hermannus*, et anno **1822** in Trachiniarum praefatione p. VII, quamvis in plerisque tragoediis Graecorum fato suae essent partes, quum tamen de fato nihil ab Aristotele traditum esset, pernegavit scriptores illarum fabularum de eo cogitasse, qua de re in praefatione Philoctetae (**1824**) apertius disputavit in hunc modum: „De fati necessitate, quae mala illa adduceret, non ita sentiebant tragici veteres, ut hodie nonnullis

videtur. Nam usi quidem ea sunt saepe, imo plerumque, verum non quod eam in tragoedia necessariam putarent, sed quod, quum omnem hominum vitam fatis regi crederent, magna erat ubertas argumentorum, in quibus fati insignes quaedam partes essent." Ac tanti viri auctoritas aut fallor aut eo pertinuit, ut mentio fati, sine quo de Graecorum fabulis ante videbatur nullum omnino verbum fieri posse, paullatim obsolesceret. Nam praeterquam quod pauci et ii ferme quasi praetereuntes superiorem opinionem retinuerunt, veluti *Zündel* de la tragédie Grecque, Lausanne 1838. p. 85, *Feldmann* Aesch. Choeph. Soph. Euripidisque Electr. inter se comparatae, Altonae 1839. p. 13. 14, *Genzken* de Soph. Philoct. Progr. Ratzeburg. 1842. p. 15, *Fittbogen* de Soph. sent. eth. Berol. 1842. p. 24 sqq., qui tamen non sejungunt a justitia fatum, ceteri numen illud necessitatis aut silentio repudiaverunt, ut *Wieckius Ueber Soph. Elektra und die Choeph. des Aesch.* Merseburg. 1825, et, qui multo gravior auctor est, Odofredus *Muellerus Aesch. Eumeniden.* 1833, aut aperte dilucideque fati opinionem a Graecorum fabulis alienissimam judicaverunt, veluti *Zeyss* in diss. de sententia, quae Aesoh. Ag. subest, Göttingae 1829. p. 8, quod singulari libello dedita opera persecutus est *C. J. Hoffmann: das Nichtvorhandenseyn der Schicksalsidee in der alten Kunst etc.* Berlin 1832, aut etiam fato vim et naturam longe aliam atque superiores tribuerunt. Primus quidem Fridericus de *Raumer* (*Ueber die Poetik des Arist. Abh. der Berl. Ak.* 1829. *p.* 38) quae ad id tempus susceptae de fato fuerint opiniones, iis docuit stari non posse, et quod alii crederent libertatis ac necessitatis adhibitis notionibus ad liquidum omnia perduci, his ipsis ante omnia adhibendam correctionem et quasi *κάθαρσιν* esse, quam rem quod ipse perficere noluit magnopere dolemus. *Klausenius* autem in Theol. Aeschyl. 1829. p. 38 pro numine illo inenarrabili, nulla certa figura formato, omnium rerum praepotenti (ita vim fati descripsit *Wachsmuthius Hell. Alterthumskunde* II. p. 97) naturam rebus ipsis insitam et uniuscujusque propriam dicebat esse *Μοῖραν*. Contra *Gruppius* (*Ariadne* p. 712. 717) non in rebus sed in fabulis, quae ex indocta et plebeja poesi traditae poetis essent doctioribus, vim contendit inesse fati, in iisque a fato proficisci convenientiam rerum et illam, quam aequilibritatem Cicero vocat, *ἰσονομίαν;* neque tam religionis quam poesis esse fatum, quippe natum ex rerum informatione ea, quae in poetarum inesset animis. Alias denique fato partes tribuebat etiam *Hegelius,* qui ex quo disciplinam pulchri, in artis modum redactam, in scholis tradebat, fatum quale vulgo puta-

batur non agnoscebat, ut qui tragoediae naturam primus verissime perspexisset universam. Ex quo namque fatum repertum in fabulis erat, vis tragoediae, quae etiam *Lessingio* carmen visa fuerat ad excitandam miserationem aptum (*Dramaturgie* 2, p. 192), contineri putabatur hominis contra fatum pugnantis certamine *), neque aut poetarum, velut Aeschyli et Sophoclis, aut ipsarum fabularum alia videbatur esse differentia, quam quod in aliis fati vis hominem, in aliis hominis vel in interitu liberi fortitudo vinceret fati vim; cf. *Ast Grundrifs der Philologie* p. 115 sq.. Qui veram rationem propius attigerunt, ita disputant, ut certamen hominis cum necessitate congredientis negent utique dirimendum esse alterius partis interitu, sed partium contrariarum conciliatione quadam pacifica et aequabili libertatis et necessitatis compensatione. Cf. *Süvern Abh. der Berl. Akad.* 1825. *p.* 135: *So wird es nun hinlänglich nachgewiesen seyn, dafs zwar im Allgemeinen Darstellung grofser Conflikte des Nothwendigen und der Freiheit in ihrer Verwicklung und Entscheidung Zweck der Tragödie, dafs aber nicht die gewaltsame Vernichtung derselben die einzige und höchste Form ist, worin sie ihn ausdrückt und erreicht, sondern vielmehr ihr eigentliches und tiefstes Streben nach ihrer Auflösung und ihrem Uebergang in Harmonie und Gleichgewicht und das daraus entspringende neue Leben geht, also auch nicht auf Verherrlichung des Nothwendigen allein, sondern auch der Freiheit, aber nur in ihrem Einklange mit jenem und in der Kraft, die sie durch ihre Wiedervereinigung mit ihm gewinnt, gerichtet ist.* *Hegelius* vero docuit, non hominis *cum* fato pugnam in fabulis esse, sed *sub arbitro ac disceptatore fato* conflictionem duarum causarum contrariarum, quarum non esset justa altera, altera injusta, sed utraque utrumque; cf. *Aesthetik Bd.* 3, p. 550, imprimis p. 554: *Eben so wenig ist die Nothwendigkeit des Ausgangs ein blindes Schicksal, d. h. ein blofs unvernünftiges, unverstandenes Fatum, das viele antik nennen, sondern die Vernünftigkeit des Schicksals, obwohl sie hier noch nicht als selbstbewufste Vorsehung erscheint, — liegt eben darin, dafs die höchste Gewalt, die über den einzelnen Göttern und Menschen steht, es nicht dulden kann, dafs die einseitig sich verselbständigenden und dadurch die Gränze ihrer Befugnifs überschreitenden Mächte, so wie die Konflikte, welche hieraus folgen, Bestand erhalten. Das Fatum weis't die Individualität*

---

*) Cf. *Hoffmeister* Schillers Leben etc. IV. p. 9. 12.

in ihre Schranken zurück, und zertrümmert sie, wenn sie sich überhoben hat. Ein unververnünftiger Zwang aber, eine Schuldlosigkeit des Leidens müfste statt sittlicher Beruhigung nur Indignation in der Seele des Zuschauers hervorbringen. Sed fato quidem nimium tribuisse Hegelium, neque in eo esse rerum subjectarum quasi quandam prudentiam, ex commentatione nostra speramus planum fore; at ab eodem cetera rectissime disputari, non minus inde patebit. Atque contentionem illam causarum contrariarum, in quarum utraque et juris esset vis et injuriae, in Sophoclis certe fabulis versari perspexerat jam *Solgerus*, Praef. Soph. p. XXIII; post Hegelium confirmata in multo pluribus illa persuasio est, nec solum in iis, qui disciplinae suae conditorem sequuntur, veluti *Roetscherus*, *Hinrichsius*, sed etiam in aliis; cf. *Schwenck über des Sophokles Antigone, Frankfurt a/M.* 1842, *Held*, quem praeceptorem meum carissimum pietatis ac reverentiae causa nomino, *über den Charakter Kreons in der Antigone des Soph. Bayreuth* 1842. Ac jam eo loci videtur res esse, ut tragoediae vim quam recte definiverit Hegelius, Germani magis in dies intelligamus *); poetarum quidem nostrorum principes si non magistra scientia at natura atque ingenio duce contentionem illam quam dicimus causarum inter se confligentium in praestantissimis quibusque suis fabulis luculenter expresserunt. Gallos, Anglos aliquando secuturos arbitror, quamquam ex illis quidam, *Patin* etudes sur les tragiques grecs ou examen critique d'Eschyle, de Sophocle et d'Euripide, quo de libro judicium fecit *Ad. Schöll* in Eph. Jen. nov. 1843. Nro. 24. 25, inexsuperabilem illam fati per fabulas regnantis vim declamatorio strepitu nuper demum celebravit.

3. Non hoc nunc agimus, ut quae sit fati per se spectati natura et cum Diis necessitudo declaremus; satis habemus significasse, quae fuerit priscorum varians et anceps opinio fati, ut Jovi ceterisque Diis modo praeponeretur, modo subjiceretur, nonnunquam etiam confunderetur cum iis, ab ea ne Aeschylum quidem fuisse alienum. Et illud quidem statuit in tota Prometheo; cf. Ag. 364; Fr. 182 Dind.; postmodo secutum Herodoteum illud

---

*) Ad Hegelium non applicavit se sed prope tamen accessit vir magnus, Greg. Guil. *Nitzschius*, qui de graecae tragoediae natura nuperrime disputavit in commentationibus duabus academicis (Kiliae 1842. 1843). Tanti viri sententiam quod nos iterum persimile tractantes argumentum iterum sero rescivimus, dolemus vehementissime.

I, 91: *τὴν πεπρωμένην Μοῖρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ.* Alterum patet ex Ag. 1485, Suppl. 822; adde Ag. 1290; 1026; Pers. 101; posteriores ausi sunt hoc effari: *δῆλα δὲ πᾶσιν τὴν πεπρωμένην μόνῳ οἱ* (Jovi) *πείθεσθαι,* Pausan. I, 40, 3. Tertium conficitur ex Suppl. 1047: *ὅτι τοι μόρσιμόν ἐστι, τὸ γένοιτ' ἄν· Διὸς οὐ πάρβατός ἐστιν μεγάλα φρὴν ἀπέρατος·* coll. Eum. extr. *Ζεὺς ὁ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα.* Hoc quidem ratum habuisse constat Aristotelem, qui *ἀνάγκην, εἱμαρμένην, πεπρωμένην, Μοῖραν, νέμεσιν, ἀδράστειαν, αἶσαν* ejusdem dixit significationis esse addiditque: *πάντα ταῦτά ἐστιν οὐκ ἄλλο τι πλὴν ὁ θεός·* cf. Bluemner p. 121. Ita *cur* variarit antiquorum opinio, exposuimus in Theol. Hom. p. 127.

4. Scio aliter visum esse *Welckero Aesch. Tril.* p. 446, *Nachtrag* p. 160; hoc quoque scio, Homerum, Pindarum, denique poetas Aeschylo posteriores adulteram magis et libidinosam finxisse Clytaemnestram, quam justam nefarie mactatae filiae vindicem. At Aeschyli Clytaemnestram si turpem tantum adulteram fingimus, non matrem eandem atrocissima laesam injuria, perit dignitas, perit ipsa ratio ac sententia fabulae, in qua jus cum jure pugnat, non cum jure vesana atque obscena libido, jure vacua. Ne sociari quidem in causa caedis expedienda vindictam et adulterium velim, quod fecit *Zeyss* p. 19. 23; imo ultionis cupiditatem secutum adulterium est, quia caedem paranti mulieri opus erat viri praesidio. Atque ipse Aeschylus tamquam voce missa reclamat; cf. Ag. 152 sqq., in qua vaticinatione Calchantis quum fundamentum fabulae ponatur, *θυσία νεικέων τέκτων σύμφυτος, οὐ δεισήνωρ, μνάμων μῆνις τεκνόποινος* diligentissime commemoratur. Mecum facit *Humboldtius.*

4.[b] *Supplices,* quas gaudeo nunc etiam *Welckero* videri trilogiae fabulam primam (*die griech. Trag. p.* 48), in numerum idcirco non veniunt, quod hujus fabulae ne initia quidem ex fatali nascuntur necessitate. Etenim tota versatur in exponendo jure duplici, primum eo, quo Aegyptidae contra Danaides utuntur. Quae quum fratres non habeant sintque atticis legibus *ἐπίκληροι,* qui sunt genere proximi nuptias earum ut sibi debitas flagitant; Suppl. 387: *εἴ τοι κρατοῦσι παῖδες Αἰγύπτου σέθεν νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένους εἶναι, τίς ἂν τοῖσδ' ἀντιωθῆναι θέλοι;* cf. *Hermann griech. Staatsalterthümer* p. 266. 267 n. 6 et 10 ed. 3tiae. Sed quae civitatis lege probata matrimonia sunt, ea puellis naturae lege videntur incesta. Deinde nititur eo jure, quo Danaides valere se credunt contra Pelasgum, Argivorum regem, qui postulantibus, ut supplicum jus sine

exceptione ratum habeatur, initio regium opponit officium belli a sua civitate prohibendi, neque virgines nisi post impetratam a civibus ipsis potestatem in fidem ac tutelam recipit.

5. *Ἀλάστορα* vix adducor ut cum *Hermanno* (ad Soph. Oed. Col. 1480) aut cum *Lobeckio* Paralip. p. 450 segregem a *λήθομαι*. Sequor hac in re *Wexium* (*Beiträge zur Kritik des Soph. Oed. Col. Schwerin* 1837), qui p. 9 rectissime videtur docuisse, *ἀλάστορα* dici aut active eum, qui non obliviscatur, aut passive eum, cujus ipsius memoria non deleatur oblivione. Jam utraque vocis significatione ad sceleris cogitationem relata ille ultor, hic sceleratus est. — Sed *ἀλάστορος* eorum qui de re tragica scripserunt pauci et plerique quasi transeuntes mentionem fecerunt, *Barthélemy* l. c. p. 134, *Suevern* S. Th. p. 86. 95. 96, *idem* Wallenst. p. 31. 104, *idem* in Comment. soc. Berolin. p, 108, *Hermann* ad Aristot. Poet. p. 264, *Solger* in praef. Soph. p. XX, *Welcker* in Trilog. Aesch. p. 451, *Zeyss* in comm. de Aesch. Ag. p. 27, *Gruppe* p. 712. Unus *Klausenius* in Aesch. Theol. p. 57 veram *ἀλάστορος* naturam significavit ille quidem, sed non explicavit. Grammaticorum antiquorum sententias collegit *Blomfield* gloss. Pers. 360; vide etiam *Bernhardyum* ad Suidam v. *ἀλάστωρ*. — Addo, a Sophocleis fabulis alienam esse vim *ἀλάστορος* eam, quam expressit Aeschylus, in eaque re religionum ab utroque poeta susceptarum praecipuum aliquod cerni discrimen. Quae res et per se memorabilis atque ampliore indagatione digna est, et magnum momentum facit in dijudicanda tetralogiarum Sophoclearum quaestione.

6. *Lehrsius*, qui dixit in Mus. Rhen. 1842. I. 4 in explicanda *ἄτῃ* Homerica me infelicissime esse versatum, hoc me nomine merito vituperavit, quod primam vocis significationem neglexeram. At quae de voce ad mentis turbatam sanitatem translata disputavi, ea ne nunc quidem retractaverim. Caeterum de vocis origine cf. *Doederlini* Gloss. Hom. spec. p. 1.

7. Interpretes, in his *Doederlinus*, praeceptor et collega carissimus, in aliam accipiunt sententiam illud *ἀνθ᾽ ὅτου*· mea interpretatio, illa quam exposui doctrina sceleris scelus punientis munita, simplicitatis quoque videtur habere commendationem.

8. Opponi potest Fr. Niobae 151: *θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς, ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ*, qua de sententia Plato indignatur Rep. II. 380 A. At quamquam colligi forsitan ex Platone possit, hoc loco non itidem agi de culpa poenae loco commerita, quum tamen ignoremus, ea verba quis et qua sententiarum continuatione pronunciarit, claris poetae testimoniis nihil inde derogari potest.

9. Quis non meminit apostoli, in ep. ad Rom. 12, 21 ita praecipientis: *μὴ νικῶ ὑπὸ τοῦ κακοῦ, ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν.*

10. Hoc *ἐν κακοῖς βροτῶν* non repugnat, quin recte supra dixerimus, Clytaemnestram, Orestem *ἀλάστορος* pati vim ipsos insontes. Nos insontes eos diximus, qui nihildum sceleris *patraverint;* Chorus de genere loquitur eorum, qui pravo ingenio sunt et ad peccandum natura proclives.

11. *Ἀντεπικραίνει* pro vulgato *ἄγαν ἐπικραίνει* debemus Bambergero. *Εἰς* post *τίς ἄν*, quod metri fulciendi gratia ille inseruit, nos adoptavimus, et ipsum probabile videtur.

12. Opiniones, quas memoravimus, *Herdero*, quod sciam, auctore susceptae (*Werke* l. c. p. 226), a *Bluemnero*, *Boettigero* (Minerva p. 3), *Zeyssio* (p. 34) confirmatae, vix dici potest quantopere in exquirenda Orestiae sententia nocuerint. *Bluemnerus* quidem ita p. 143: *Auch hier liegt das Verderben in dem Charakter der Familie, worin ein Verbrechen das andere erzeugte. Nur nach und nach wird sie entsündiget, in dem Maſse, wie sie sich veredelte. Pelops, Atreus, Aigisthos sind bösartiger Natur; edler ist Agamemnon, aber nicht schuldlos; ganz rein Orestes, und mit ihm wendet sich das Geschick. Nicht der Fluch, der auf dem Hause lastet, nöthigt seine Glieder zu Unthaten; sie würden ihn abwenden, wenn sie besser wären; der Rachegeist, wenn er wirklich in dieser Familie waltete, konnte nur auf solche Menschen wirken.* Quot verba, tot errores; neque enim *moribus* hominum regitur Orestis, sed inde quod eorum quae *faciunt* homines ambiguum jus, anceps natura est, sive, ut *Nitzschii* verbis utar, „quod humana imbecillitas disceptanda inter se officia dirimere et verum optare non potest."

13. Intelligitur inde, cur lustrari potuerit Orestes ab Apolline, Furiis eripi atque piaculo solvi non potuerit. Nimirum quae in Oreste ex jure civili culpa caedis haeret, ea sola potest ab Apolline liberari et commerciis hominum congressionibusque reddi; sed illa civilis est restitutio, non tollens culpam caedis *maternae*, qua naturale jus violatum est. Ita simplicius res videtur confici posse, quam factum est a *Muellero* Eum. p. 150.

14. Propinquos ultores Clytaemnestrae posteriores, alius alium, finxerunt; cf. *Mueller* Eum. p. 133.



